Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



luminaria luminare maius ut preesset diei et luminare minus ut preesset
nocti et stellas et posuit eas in firmamento celi ut luceant super terram
et preesent diei ac nocti et divideret lucem ac tenebras. Et vidit deus
quod esset bonum et factum est vespe et mane dies quartus. Dixit etiam
deus. Producant aque reptile anime viventis et volatile super terram
sub firmamento celi. Creavitque deus cete grandia et omnem animam
viventem atque motabilem quam produxerat aque in species suas et
omne volatile secundum genus suum. Et vidit deus quod esset bonum
benedixitque eis dicens. Crescite et multiplicamini et replete aquas
maris avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespe et ma
ne dies quintus. Dixit quoque deus. Producat terra animam viventem
in genere suo. iumenta et reptilia et bestias terre secundum species suas. Factum
que est ita. Et fecit deus bestias terre iuxta species suas. et iumenta et om
ne reptile terre in genere suo. Et vidit deus quod esset bonum. et ait. Faciamus
hominem ad ymaginem et similitudinem nostram. ut presit piscibus ma
ris et volatilibus celi. et bestiis universeque terre. omnique reptili quod
movetur in terra. Et creavit deus hominem ad ymaginem suam. ad
ymaginem dei creavit illum. masculum et feminam creavit eos. bene
dixitque illis deus et ait. Crescite et multiplicamini et replete terram
et subiicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus celi. et universis
animantibus que moventur super terram. Dixitque deus. Ecce dedi
vobis omnem herbam afferentem semen super terram. et universa ligna
que habent in semetipsis semen generis sui. ut sint vobis in escam
et cunctis animantibus terre. omnique volucri celi. et universis que mo
vetur in terra. et in quibus est anima vivens. ut habeant ad vesc
endum. Factum est ita. Viditque deus cuncta que fecerat. et erant valde bona.
Et factum est vespe et mane dies sextus. Igitur perfecti sunt celi et terra
et omnis ornatus eorum. Compleverat deus die septimo opus suum quod fecerat
et requevit die septimo ab omni opere suo quod patraverat. Leo lecta.